

4. NOVARIEN (1).

*Exceptionis suspicionis contra Praesidem Capituli, etc.*  
(Sorores Ursolinae - S.C. pro Religiosis)

In causa de qua supra,

Cum Exc.mus D. Franciscus Franzi, designatus tamquam Praeses Capituli generalis Congregationis Ursularum, per literas diei 5 maii 1975 huic officio renuntiaverit;

Cumque S. Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus, pars resistens in causa, per litteras diei 12 iulii 1975 decreverit « nell'intento di porre termine alla vertenza » translationem domus principis Congregationis a Diocesi Novarien in Urbem et celebrationem Capituli in Urbe sub praesidentia Em.mi Cardinalis Urbis Vicarii;

Attento quod Superiorissa Generalis eiusdem Congregationis. Rev.da Soror Valeria Tabasso, pars recurrens, certior facta a Signatura Apostolica et de renuntiatione Praesidis Capituli et de decisionibus Sacri Dicasterii, per litteras exhibitas Huic Supremo Tribunali die 27 augusti 1975, subscripta quoque ab eius patrono Adv. Bernardini, recursui abrenuntiaverit,

Cumque, ideo, desierit ratio contendendi,

Supremum Signaturae Apostolica Tribunal  
declarat litem finitam.

Idque notificetur parti recurrenti et parti resistenti.

Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis,  
die 15 septembris 1975.

† AURELIUS SABATTANI, *a Secr.*